de applicatione speciali orationis, cum tamen eadem ratio militet pro sacrificio missæ, merito infertur peculiarem fructum, ceteris paribus pervenire in eos pro quibus specialiter offertur. Missa enim quoad applicationem ad genus orationis pertinet (1).

Quare non solum in V. T. offerri solebant sacrificia pro particularibus personis aut negotiis, sed etiam in N. T. innumera prope suppetunt ex antiquitate documenta hujus peculiaris oblationis seu applicationis. Tertullianus enim : *Pro cujus spiritu*, inquit (*primæ defunctæ uxoris*) *postulas, oblationes annuas reddis* (2). S. Cyprianus noluit, ut juxta antiquos canones, sacrificium offerretur pro anima Victoris, qui clericum constituerat bonorum suorum œconomum (3). Oblatum pro anima imperatoris Constantini sacrificium refert Eusebius in ejus vita (*Lib.* IV. *cap.* 121). S. Augustinus testatur oblatum esse pro matre sua *sacrificium pretii nostri* (4); idemque factum esse in obitu ejusdem s. doctoris narrat Possidius (5). Thomassinus plura affert exempla missarum, quæ sec. VI. et VII. celebrabantur pro singularibus personis (6). In lib. Sacram. s. Greg. M. plures pariter exhibentur orationes pro animabus illorum pro quibus offerebatur sacrificium (7). In Missali Ambrosiano plures missæ continentur pro singularibus personis ac negotiis (8). Omnes liturgiographi, Renaudotius, Assemanus, Mabillonius ceterique missas pro singularibus personis applicatas collegerunt.

Hinc optime s. Thomas ex Ecclesiæ universalis praxi ita argumentatur : *Si ergo suffragium pro multis factum valet singulis tantum ac si pro uno tantum fieret, videtur quod Ecclesia non debuit instituere, ut pro aliquo fieret singulariter missa, vel oratio, sed quod semper diceretur pro omnibus fidelibus defunctis : quod patet esse falsum* (9).

Tum igitur ex natura rei, tum ex doctrina et praxi constanti, universali ac perpetua Ecclesiæ constat posse a sacerdote missam specialiter applicari seu offerri pro aliquibus personis, quo fiat ut specialis fructus, etc. (10).

(1) Cf. Drouvenium *De re sacrament.* lib. v. Q. 7., cap. 3.
(2) Lib. *De exhortat. castit.* cap. 11. eadem habet in lib. de *Monogam.* c. 10.
(3) Ep. LXVI. *ad Clerum et Pleb. Furnitan.*
(4) Lib. IX. *Confess.* c. 12. n. 32.
(5) Cap. 31. ubi scribit, « Nobis coram pro commendanda corporis depositione sacrificium Deo oblatum est, et sepultus est. » Opp. s. August. edit. Maur. tom. X. in append. p. 280.
(6) *De beneficiis* P. I. lib. 2. cap. 75. et P. III. lib. I. cap. 69. P. 2. lib. I. cap. 77.
(7) Cf. tom. III. Opp. s. Greg. M. edit. Maur. p. 217. et seqq.
(8) Uti e. g. pro imperatore, pro rege, pro sponsis, etc. In sacramentariis Gelasiano ac Leoniano editis primum a B. Card. Thomasio, ac deinde a Muratorio, reperiuntur orationes quibus « Dona offerentur et divinum auxilium pro offerentibus enixe efflagitatur. » Gregorius Turonens. lib. *De gloria confessor.* Cap. 65. refert quod mulier quædam quotidie fecerit « Oblationem pro memoria viri, non diffisa de Domini misericordia, quod haberet defunctus requiem in die qua Domino oblationem pro ejus anima delibasset. » Cf. opp. edit. Ruinartii. Paris. 1699. p. 947. cum nota editor.
(9) In supplem. Q. 71. an. 13.
(10) Cf. Martenium *de Antiquis eccl. ritib.* lib. I. art. 9. § 8. tum art. 18. ord. 6. cap. 4 art. 1. § 6. ubi plures recenset missas quæ pro singularibus personis aut personarum cœtibus celebrari consueverant. Id ipsum constat ex Mabillonio in opp. *De liturg. Gallicana.* Append. V. p. 493. 465. Cf. etiam de Berlendis opp. cit. *De oblationibus ad altare.* p. 253. et seqq. et alibi passim.

DIFFICULTATES. *Obj.* 1. Quod est infiniti valoris, cujusmodi est sacrificium nostrum non magis prodesse potest uni pro quo speciatim offertur, quam universo fidelium cœtui; 2. præsertim si fructus sit generalis et singulos tam vivos quam in charitate defunctos comprehendat; at omnes reipsa sacrificium missæ comprehendere binæ illæ orationes indicant, quæ in ejus celebratione recitantur, nempe : *Memento, Domine... Omnium quorum tibi fides cognita est et nota devotio... Et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis ut indulgeas deprecamur.* 3. Stipendium propterea sacerdoti datum, ut missam celebret, illud unum meritum habet, quod proprium est exhibitæ eleemosynæ; 4. tametsi magis expediret tanquam abusum omnem hanc eleemosynarum largitionem e medio tollere, quippe quæ nimis valent fovendæ sacerdotum avaritiæ, et scandalo ac offensioni sunt ipsis fidelibus. 5. Etsi igitur in liturgia specialis pro fidelibus commemoratio a sacerdote fieri possit, in ejus tamen potestate non est sacrificii fructus applicare cui voluerit; 6. quia hac ratione lederentur jura Dei, qui solus prædictos fructus pro libito distribuit. Ergo.

Resp. Ad 1. *Dist.* Quod est infinitum seu infiniti valoris tum ratione sui, tum ratione effectus seu efficacia, *C.* quod infinitum tantum est ratione sui, non autem ratione effectus, *N.* Licet enim sacrificium altaris ratione victimæ quæ offertur ac principalis offerentis qui est Christus Dominus sit infinitum seu infiniti valoris, tamen non infinitos producit effectus, sed applicat nobis meritum sacrificii crucis modo finito. Ita enim voluit auctor ejus Christus, qui nec meritum sacrificii crucis ad omnes extendit, nempe ad Angelos rebelles, quos a redemptione exclusit (1). Posito autem, quod sacrificium altaris finitum sit quoad suos effectus, plane consequitur iis plus prodesse, ceteris paribus, quam aliis pro quibus non applicatur. Quoad eos etiam pro quibus applicatur sive offertur, finitos tantum producit effectus, ut patet ex praxi Ecclesiæ, quæ consuevit pro uno eodemque defuncto plura offerre sacrificia, alioquin unum satis esset ad omnium animarum libertatem impetrandam (2).

(1) Cf. Card. Bona *De sacrif. Missæ* cap. 1. § 4. qui inter cetera scribit : « Neque considerandum est id, quod in sacrificio continetur tanquam ens quoddam naturale agens secundum summum gradum virtutis suæ, sed ut ens liberum, cujus operatio tantam habet efficaciam, quantam habere vult ipsum agens principale Christus Redemptor noster, qui hoc incruento sacrificio vult nobis applicari finitum tantum, et limitatum fructum suæ passionis. »
(2) De Berlendis opp. cit. *De oblat.* etc. § 12. n. 7. ostendit usum antiquissimum de celebratione anniversaria sacrificii missæ pro defunctis, nec non de eadem celebratione die *tertia*, *septima*, *nona*, *trigesima*, *quadragesima* a die obitus; idque evincit auctoritate Tertulliani, Ambrosii, Augustini. Quibus vir doctus addere potuisset auctoritatem s. Gregorii Magni in cujus libro sacramentorum exhibetur : *Missa unius defuncti*, item *Missa in die depositionis defuncti, sive III. VII. trigesimoque.* Cf. opp. edit. Maur. tom. III. p. 218.

Ad 2. *Dist.* Si in applicatione ageretur de fructu *generali*, *C.* si de fructu *medio*, ut vocant, *N.* Omnes enim norunt triplicem esse fructum missæ, generalem, specialem et medium. Primus pertinet ad omnes fideles, et ex eo provenit, ut loquitur Card. Bona, quod generaliter pro omnibus fidelibus vivis et defunctis offertur. Est enim idem quoad substantiam cum sacrificio crucis, quod pro omnibus oblatum est, et ex canone constat debere sacerdotem pro omnibus applicare, pro papa, pro episcopo, totaque Ecclesia militante et purgante, et non potest non applicare, cum sit ab Ecclesia ad hoc specialiter deputatus. Quocirca is fructus ad omnes fideles extenditur, qui neque ab Ecclesiæ unitate sunt divulsi neque ullum ponunt obicem. Secundus fructus est proprius celebrantis, et in eo fundatur, quia sacerdos offert etiam pro se ipso : *Offero*, inquit, *pro innumerabilibus peccatis, et offensionibus et negligentiis meis* juxta doctrinam Apostoli, Heb. V. 3. Tertius fructus subest dispositioni sacerdotis, ut applicet cui voluerit, et oritur ex natura sacrificii, quod ita institutum est, ut pro hominibus offeratur ac præterea iis prodesse debeat pro quibus offertur (1). Porro ab hac speciali applicatione, pendet medius hic fructus, qui plane distinguitur a duobus prioribus.

Ad 3. *Neg.* Nam præter meritum eleemosynæ, qui eam tribuit, habet jus, ut pro se applicetur seu offeratur sacrificium, illumque fructum reportet qui ex ejusmodi applicatione in ipsum redundat, si nihil obest, aut saltem per illum efficacius sese disponere possit ad obtinenda auxilia quibus a peccato liberetur.

Ad 4. *Neg.* posse vocari abusum hanc institutionem ab Ecclesia probatam, et a remotissima antiquitate provenientem, nempe ex oblationibus quas fideles faciebant tum ut præsto esset quidquid sacrificio necessarium esse poterat, tum ut ipsi ministri sustentarentur (2). Quod si ex hominum malitia aliquis abusus irrepsit, abusus corrigendus est, non autem usus tollendus. Hos reipsa abusus quantum ex se erat sustulit concilium Tridentinum (3), ac deinde romani pontifices nunquam non vigilarunt, ac pluribus editis constitutionibus sedulam navarunt operam ne denuo inducerentur, aut, si qui introducti erant, depellerentur (4). Quæ si rite observantur, nullum profecto scandalum inde pati possunt fideles ex ejusmodi eleemosynis, cum et ipsi bene noverint, vivere debere de altari, qui altari serviunt (5).

(1) Cf. Card. Bona op. et l. c.
(2) Mabillon in Prologo ad 3. sec. Benedict. P. I. § 62. Cf. etiam op. cit. P. De Berlendis *De oblationibus peculiaribus sive de Missæ stipendio.* Pars altera § 1. et seqq. ubi erudite versat hoc argumentum ita ut nihil desiderari possit.
(3) Sess. 22. in Decreto *De observandis et evitandis in celebratione Missæ.*
(4) In Bullar. ejusdem pontif. tom. I. p. 56. ante Benedictum XIV. plures alii pontifices id ipsum præstiterunt haud paucis editis constitutionibus, quæ notissimæ sunt.
(5) Jo. Gersonius in Opusc. *De sollicitudine ecclesiasticorum* quod exstat tom. II. opp. ed. Ell. Du Pin egregie adstruit honestatem usus seu praxis recipiendi eleemosynas pro celebratione missarum.

Ad 5. *Neg.* Siquidem applicatio nihil aliud est, quam oblatio pro illis quorum generatim aut singillatim commemoratio fit, ex intentione, ut, ceteris paribus, magis eis prosit. *Pro quibus tibi offerimus* dicitur in canone. Vi enim hujus intentionis quam habet offerens, determinatur oblatio pro peculiari, aut peculiaribus personis pro qua aut pro quibus ille sacrificium offert (1).

Ad 6. *Neg.* Cum enim Christus contulerit Ecclesiæ suæ facultatem sacrificii offerendi, hoc ipso dedit ei facultatem illud applicandi quoad fructum medium de quo disserimus pro particularibus personis; ut ex ejus perpetua praxi luculentissime constat. Absurdum porro est affirmare, eripi ab Ecclesia supremo Numini libertatem habendi gratum, acceptum, ratumque quod in votis se habere profitetur hæc eadem Ecclesia juxta potestatem sibi a Christo traditam; multo autem absurdius est asserere per ejusmodi potestatis exercitium lædi jura Dei. Numquid minister censetur jura principis lædere dum favorem alicui impertitur, si ab ipso principe eum dispensandi prius habuit facultatem (2)?

CAPUT IV. DE IDIOMATE, VOCE, AC CÆREMONIIS QUIBUS MISSA CELEBRANDA EST.

Discussis ac vindicatis, quæ ad intrinsecam sacrificii eucharistici naturam spectant, superest ad tractatus absolutionem ut ordinem tueamur ab Ecclesia præscriptum in ejusdem celebratione. Hoc autem assumimus tum adversus novatores qui Ecclesiæ crimini vertunt missæ celebrationem in ignota lingua, ut ipsi aiunt, atque submissa voce, cæremonias vero tanquam ludicras et theatrales traducunt; tum adversus synodum pistoriensem, quæ illorum vestigia premere verita non est sub specioso prætextu collapsam veterem disciplinam instaurandi.

PROPOSITIO I. — *Nec licet, nec expedit lingua tantum vulgari missam celebrare.*

Sic enim decrevit Tridentina synodus sess. XXII. cap. VII. *Etsi missa magnam contineat populi eruditionem, non tamen expedire visum est patribus ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem, retento ubicumque cujusque Ecclesiæ antiquo et a sancta romana Ecclesia omnium ecclesiarum matre et magistra probato ritu, ne oves Christi esuriant.... mandat sancta synodus pastoribus, et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter missarum celebrationem vel per se, vel per alios, ex iis, quæ in missa leguntur aliquid exponant, atque inter cetera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim dominicis et festivis ;* et can IX. *Si quis dixerit..... lingua tantum vulgari missam celebrari debere, anath. sit.* Ex his patet merito in constitut. *Unigenitus* proscriptam esse propositionem LXXXVI. Quesnelli quæ ita se habet : *Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem*

(1) Cf. Card. Bona opp. cit. cap. 1. § 3.
(2) Alias difficultates seu potius tricas affert et diluit s. Thomas suppl. Q. 71. ar. 13.

suam voci totius Ecclesiæ, *est usus contrarius praxi apostolicæ et intentioni Dei*. Et in constit. *Auctorem fidei*, merito pariter proscriptam esse eamdem synodi pistoriensis doctrinam quæ his verbis exhibetur : *Propositio synodi*, *qua cupere se ostendit*, *ut causæ tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad liturgiæ ordinem spectantium*, *revocando illam ad majorem rituum simplicitatem*, *eam vulgari lingua exponendo et alta voce proferendo* (prop. XXXIII); ambæ enim hæ propositiones adversantur doctrinæ concilii Tridentini.

Porro nec licere neque expedire lingua tantum vulgari missam celebrare hac ratione evincitur : nec licet nec expedit id quod adversatur Ecclesiæ legibus, antiquæ item et ubique receptæ consuetudini, quodque haud levibus incommodis ac periculis obnoxium est. Tale autem est adversariorum principium. Etenim quod spectat ad Ecclesiæ leges satis id constat ex Tridentini concilii decretis, quæ attulimus atque ex constitutionibus pontificiis. Quod vero attinet ad antiquam et ubique receptam Ecclesiæ praxim et consuetudinem abunde liquet ex factis ipsis. Nam in ecclesiis occidentalibus semper viguit usus missam celebrandi latina lingua; in ecclesiis vero orientalibus adhuc celebratur missa aut lingua græca antiqua, aut antiqua syriaca, coptica, armena, etc. quamvis omnes linguæ istæ vulgares esse a pluribus seculis desierint, uti ostendit Renaudotius (1). Nemo autem usque ad pseudoreformatores reclamavit. Quod demum respicit incommoda et pericula patet 1. ex eo quod usus sacrorum linguis vernaculis unitati fidei, religionis, charitatis, societatisque non parum adversetur, cum ille tollatur communicationis nexus, quo ecclesiæ earumque pastores in divinis rebus sociari debent (2). 2. Ex eo quod vulgares linguæ firmiter constitutæ non sint, ac per singulas fere ætates mutationem subeant ut quotidiana experientia docet; ideoque 3. si liturgia vulgari lingua perageretur vel risus in audientibus ob styli diversitatem excitaretur, vel sæpissime mutandæ essent, ob perpetuas linguæ vernaculæ vicissitudines, quod absque gravi periculo fieri non potest, ut patet ex versionibus quas sectarii identidem dederunt sacrarum Scripturarum in quibus errores suos obtruserunt (3). 4. Accedit nullam linguam adeo vulgarem esse ut in pluribus villis ac pagis vernacula dici possit, quare si valeret adversariorum ratio, tot deberent fieri versiones quot sunt linguarum dialecti, cum sæpe rustici linguam vulgarem minime intelligant, quod nunquam factum est, nec forte fieri posset.

(1) *Liturg. orient. collect.* tom. 1. Dissert. *De liturgiarum orient. origine et auctoritate* cap. 6. ubi tamen et illud ostendit a vero abhorrere quod nonnulli statuerunt tres tantum linguas hebraicam, græcam et latinam quibus titulus crucis inscriptus fuit, in liturgia celebranda usurpatas fuisse.

(2) Cf. Com. de Maistre in opp. *Du Pape*, liv. 1. ch. 20.

(3) Cf. Guasco *Dizionario Ricciano e Antiricciano* ad voces *Passio*. *Veturale* ubi nonnulla amœna anecdota refert ex introductione linguæ vernaculæ orta in celebratione divinorum officiorum juxta decretum pseudo-synodi Pistoriensis.

Hinc quamvis protestantes magno impetu insurrexerint ab initio adversus usum Ecclesiæ romanæ celebrandi sacra latino idiomate, demum experientia docti hac etiam in parte e proposito aliquantulum recedere visi sunt. Non ita pridem professores universitatis Oxoniensis conquesti sunt quod a *reformatione* ob utilitates imaginarias derelicta fuerit idea cultus uniti, vi cujus identitas temporum et linguæ penes diversas nationes conservata fuerat (1).

DIFFICULTATES. *Obj.* 1. Hæc disciplina aperte adversatur Apostolo, I. Cor. XIV. 13. et seqq.: *Qui loquitur lingua, oret, ut interpretetur. Nam si orem lingua* (*peregrina*), *spiritus meus orat*, *mens autem mea sine fructu est. Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo et mente : psallam spiritu*, *psallam et mente. Ceterum si benedixeris spiritu ; qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, amen, super tuam benedictionem? Quoniam quid dicas*, *nescit : nam tu quidem gratias agis : sed alter non ædificatur*. 2. Apertum igitur est, neglectis versionibus missæ vernaculis, negligi utilitatem ac devotionem fidelium circa missæ sacrificium. 3. Quare Martenius adductis in medium quorumdam sanctorum exemplis, demonstrat vernacula lingua sacrificium olim offerri consuevisse. 4. His exemplis permoti romani pontifices Hadrianus II, Joannes VIII, Innocentius IV. permiserunt Illyricis ut vernacula lingua uterentur in sacris faciendis, Paulus vero V. idipsum concessit Sinensibus, improvido proinde consilio Tridentini patres declararunt, *non expedire*, quod pontifices illi expedire facto ipso ostenderunt. Duplici propterea de causa improbandum est Tridentinum decretum, tum quia nec rationum pondere neque exemplorum auctoritate defendi potest; tum quia, ut advertunt Sarpius et Courayerius, cum decretis romanorum pontificum, maxime vero Joannis VIII, conciliari nullo modo potest. Ergo.

Resp. ad 1. *Neg.* Nam neque Apostolus loquitur de sacrorum celebratione, neque conveniunt omnino ejus verba casui nostro. Non loquitur de sacrorum celebratione, ut patet ex contextu, in quo sermo est de donis supernaturalibus ac præsertim de dono linguarum quo qui instructi erant in fidelium cœtibus loquebantur lingua non sua, quamque nemo assequi poterat, et inducebantur confusio et perturbatio in Ecclesia seu in cœtu in quem illi conveniebant (2). Aptari præterea nequeunt Apostoli verba casui nostro, cum lingua quam adhibere solet Ecclesia in liturgia, et in suis precibus non possit absolute dici lingua ignota ipsi populo, quoniam per pastorum instructiones et explanationes eorum quæ in liturgia fiunt et dicuntur ad Deum laudandum atque ad gratias Deo agendas fidelis quilibet satis edoceri possit. Hi sunt interpretes illi quos requirebat Apostolus (3).

Ad 2. *Neg.* Etenim si pastores et singuli animarum

(1) Apud Wiseman *Dissert. cit. sullo stato attuale del Protestantesimo in Inghilterra*. Roma. 1837. p. 10.

(2) Hoc ipsum fatetur Rosenmüller senior *in scholiis in lib. N. T.* in h. l.

(3) Cf. Fontana in *Constitut. Unigenitus Theologice propugnata*. tom. III. p. 955. et seqq.

curam gerentes obsequantur decreto concilii Tridentini, certum est in fidelium animos devotionis ac pietatis fructus uberiores provenire, quam si divinum sacrificium vulgari idiomate celebraretur. Placet ad majus synodi Pistoriensis dedecus hæc confirmare auctoritate hominis protestantis, scilicet Leibnitii, qui scribit : *De lingua, qua celebretur divinum officium, deque cæremoniis sacrisque introductis non est quod multa dicam.* Constat enim de his statuendi potestatem penes Ecclesiam esse, modo decor servetur, et eorum quæ submisse et lingua sacra dicuntur, notitia et interpretatio fideli populo non desint; atque certe nunc nihil in eo genere desiderari potest, ex quo complures libelli vernaculi prodiere in quibus canon missæ, et quidquid ad rem divinam pertinet, abunde explicatur. (*Systema theol.* p. 294.)

Ad 3. *Dist.* Ita tamen, ut quod sibi proposuit Martenius non ostenderit, *C.* ut reipsa ostenderit, *N.* Martenii quidem eruditionem et nos valde suspicimus, sed ejus auctoritate hac in re permoveri non possumus, cum ejus argumenta non id efficiant, quod ipse molitur, uti egregie ostendit Robertus Sala, singulis Martenii argumentis discussis (1).

Ad 4. *Dist.* Nempe eo ipso quod agatur de libera disciplina, quæ Ecclesiæ potestati subest, interdum romani pontifices judicarunt justis de causis derogare disciplinæ universaliter receptæ, *C.* his causis non existentibus, *N.* Concilium enim Tridentinum edixit *quid, cæteris paribus*, magis expediat; Romani pontifices *quid in nonnullis casibus aliter expediat fieri*, nulla propterea pugna intercedit inter decretum concilii Tridentini et concessiones factas a Romanis pontificibus. Addo ingens adesse discrimen inter concessiones factas a Romanis pontificibus et illud de quo loquitur concilium Tridentinum. Aliud enim est permittere alicui genti vel regno, ut cum primum convertuntur ad fidem adhibere possint in sacris linguam sibi vulgarem et propriam ; aliud vero permittere, ut linguæ jamdiu receptæ in sacris faciendis ideo succedat alia lingua, quia prior illa desiit, hæc autem cœpit esse vulgaris. Jam vero primum illud permiserunt qui ab adversariis laudantur pontifices, minime vero hoc alterum, quod in præsentia nos quærimus, atque a Tridentinis patribus pertractatum est. Ex hac porro observatione cætera corruunt, quæ objici solent ab adversariis ac petuntur ab antiquis liturgiis, quæ in variis linguis præsertim apud Orientales receptæ sunt (2).

PROPOSITIO II. — *Non omnia in missa alta voce sunt recitanda.*

Hoc pariter sancitum est in concilio Tridentino, quod cit. sess. XXII. cap. V. sic habet : *Cum natura hominum ea sit*, *ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia vero elatiore, in missa pronuntiarentur*, *instituit* ; et adversus novatores hunc canonem IX. edidit : *Si quis dixerit Ecclesiæ romanæ ritum, quo submissa voce pars canonis, et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse.... anath. sit.* Mirum proinde post hæc videri potest quod synodus Pistoriensis in cit. propos. ostendat se cupere, ut liturgia *elata voce* proferatur. Quæ propositio propterea ut *temeraria, in Ecclesiam contumeliosa, favens hæreticorum in eam conviciis*, damnata est.

Causæ quæ moverunt Ecclesiam ad hunc ritum servandum sunt : 1. exemplum veteris legis in qua ex Dei ipsius jussu plura a sacerdotibus submissa voce, immo nec vidente populo, recitanda erant (1). 2. Antiqua institutio de qua plura monumenta suppetunt ex historia ecclesiastica (2), et ex antiquis liturgiis in quibus omnibus receptum est a remotissima antiquitate, ut alia elatiore voce, alia omnino secreto recitarentur, et adhuc recitentur (3). 3. Major veneratio, quæ ex secreto redundat erga res divinas, atque ex silentio excitatur et alitur (*Cf. Fontana, l. c.*), quo fit ut sacerdos et adstantes, quæ peraguntur et repræsentantur mysteria meditari possint attentius. Et hæc quidem ad tuendum decretum concilii Tridentini adversus novatores; nam quod spectat ad synodum Pistoriensem satis est ipsi opponere auctoritatem Ecclesiæ, præsertim vero canonem concilii Tridentini.

DIFFICULTATES. *Obj.* Neque antiquæ liturgiæ, neque canon Tridentinus adversantur praxi missam alta voce recitandi. 1. Vox enim *secreto* et ex ea *secretæ* a *secerno* provenit, quia priusquam recitarentur orationes secretæ, pœnitentes et catechumeni ecclesia amovebantur; vel quia oblationes solebant separari. 2. Quod vero dicitur in canone Tridentino de *submissa voce* intelligi debet *sine cantu*, ut constat ex Amalario, aliisque scriptoribus medii ævi qui memorant *cantum in silentio*, et ex antiquo officio hebdomadis sanctæ quod asservatur in ecclesia Pistoriensi in quo hæc invenitur rubrica : *Horas diei sub silentio cantamus ; horæ diei sub silentio dicuntur*. 3. Nec aliter esse potest, constat enim ex antiquis liturgiis post verba consecrationis populum consuevisse respondere *Amen*. 4. Justinianus imperator vetuerat ne canon secreto recitaretur (*Novella* 137. *al.* 123. *cap.* 6.), ecclesiæ porro, quæ in ejus ditione erant, ipsi paruerunt. Ergo.

Resp. Neg. Ant. Ad 1. *prob. Dist.* Spectata etymologia, *Tr.* spectato sensu et Ecclesiæ usu, *N.* Quidquid enim sit de hujus vocis *secretæ* etymologia, in quam hic inquirere diutius non vacat, certum est ex Ecclesiæ usu in alio omnino sensu ab Ecclesia eam

(1) In annott. ad lib. 1. cap. 5. § 4. n. 6. Card. Bona. tom I. p. 85. et seqq. ubi plura erudita congerit ad rem nostram.

(2) Cf. Bened. XIV. *De sacrif. Missæ* lib. II. cap. 22. et 23. nec non Joseph Isotta in dissert. *Della Messa in lingua vulgare*. etc. Vercelli. 1788.

His adjice quæ scribit cl. Muratorius adversus Binghamum, qui eamdem cantilenam cecinit, quod romana Ecclesia in sacris quotidie *utatur lingua populo incognita*. Diss. *De reb. liturg.* cap. 20.

(1) Cf. Bellarm. *De euch.* lib. VI. qui est. II. *De sacrif.* cap. 12. n 5.

(2) Cf. Fontana op. cit. P. 3 Prop. 86. cap. 4.

(3) Cf. Le Brun *Explic. de la messe.* Suite du IV. vol. *Quinzième dissertation sur l'usage de réciter en silence une partie des prières de la messe dans toutes les églises et dans tous les siècles.*

usurpari ab eo quem obtrudere vellent adversarii. Etenim prout observat Martenius his conjecturis plus æquo indulgentes nullo veterum testimonio nituntur, eisque refragatur antiquus liber sacramentarius ms. ecclesiæ Turonensis in quo orationes prædictæ non *secretæ*, sed *arcanæ* nuncupantur; cui adjicere possumus omnes antiquos sacrorum rituum expositores, præsertim vero Amalarium sec. IX. Rhemigium sec. X, qui secretas a silentio secreto derivant (1).

Ad 2. *Neg*. Mabillonius enim innumeris prope allatis documentis ex Venantio Fortunato, Reginone, Hincmaro, Gregorio Turonensi, etc., luculenter ostendit voces *cantus*, *canere*, *cantare* adhibitas fuisse in sensu *recitandi*, ac propterea perinde esse *sine cantu* ac *submissa voce* (2). Nobis satis sit adducere testimonium RhemigiiAntissiodorensis, qui in explicatione super canonem missæ, ubi rationem reddit cur canon *tacite* recitetur : *Idcirco*, inquit, *venit consuetudo, ut tacite ipsa obsecratio atque consecratio a sacerdote cantetur, ne verba tam sacra vilescerent* (3). Ex quo facile quisque intelliget, *submissa voce* non idem esse ac *sine cantu*, sed secreto, ut bene adnotat Martenius (4). Addit vero Le Brunius pluribus abhinc seculis morem obtinuisse celebrandi missas privatas fere omnes sine cantu : qui igitur fieri potuit, ut Tridentini patres serio decreverint in hujusmodi missis, in quibus nihil prorsus canitur, nonnulla sine cantu esse recitanda? Ac revera tempore Tridentini nemo contendebat canonem et secretas debere dici cum cantu. Tota controversia inter catholicos et hæreticos ea erat, quod hæretici clamitarent non decere populum verba secretarum non audire, eumque ritum irriderent quasi similem illi, quem magi in suis incantationibus usurpabant. Omissis præterea conciliis provincialibus per id temporis celebratis ab iis ipsis, qui interfuerunt concilio Tridentino, quæque eas preces submissa voce recitare jubent, Rubrica approbata a s. Pio V, cui quæ ad missale pertinent commiserat emendanda Tridentinum, agens de recitandis *submissa voce* hæc habet : *Quæ vero secrete dicenda sunt, ita pronuntiet (sacerdos), ut ipsemet se audiat, et a circumstantibus non audiatur*. Ergo verba Tridentini *submissa voce*, intelligi debent de iis, quæ secreto sunt proferenda per oppositionem ad ea, quæ clatiori voce sunt pronuntianda, id est voce alta et intelligibili (1).

Ad 3. *Dist*. In nonnullis ecclesiis particularibus, præsertim orientalibus, *Tr*. in ecclesia latina, *N*. Ostendit enim laudatus Le Brunius, examine critico instituto testimoniorum quibus innixi nonnulli hanc sententiam amplexi sunt, ea minime evincere consuetudinem olim obtinuisse respondendi *amen* a populo adstante immediate post consecrationem (2). Contra vero certis documentis evincit, saltem in ecclesia latina nuspiam hanc viguisse consuetudinem, et a quarto saltem seculo neque viguisse in ecclesiis orientalibus. Ex his præterea documentis constat populum respondisse *amen*, prout nunc etiam fit a ministro, sub finem canonis, nempe ad illa verba, quæ alta voce profert sacerdos ; *per omnia sæcula sæculorum* (3).

Ad 4. *Dist*. Et hæc ipsa imperatoris nova constitutio luculenter evincit consuetudinem in Ecclesia antea viguisse missam celebrandi submissa voce, *C*. non viguisse, aut saltem post hanc constitutionem morem hunc ubique locorum obtinuisse, *N*. Hic siquidem imperator qui ecclesiæ jura sibi perperam arrogabat, voluit innovationem inducere, ac tacite saltem fatetur, nunquam ante ipsum morem in aliqua ecclesia receptum esse ut tota missa elata *voce* celebraretur (4). Assentatores, qui nunquam desunt, morem ei gesserunt, plerique vero restiterunt, hinc comperimus etiam in ecclesia græca tum sub hoc imperatore, tum post ipsum servatum esse antiquum ritum (*Cf. Le Brun. loc. cit.*), prout in præsentiarum et apud orientales, et apud Græcos adhuc obtinet.

(1) Cf. Marten. *De antiquis eccl. rit.* lib. I. cap. 4. ar. 8. § 5.

(2) *Disquisitio de cursu Gallicano*, quæ est ad calcem op. *de Liturgia Gallicana* ejusdem auctoris Cf. p. 412-416. et seqq. Sane antiquissimus auctor a Cocleo primum, ac deinde Melch. Hittorpio *ex venerandæ vetustatis* codicibus editus quærit in expositione missæ « Cur *Te igitur* secreto canitur? » Addo ipsum codicem Pistoriensem qui nobis objicitur id ipsum confirmare. Satis enim est verba ipsa perpendere, ut pateat velut synonimas poni voces *dicere* et *cantare*.

(3) Apud Mabillon. l. c. Vid. étiam apud l. c. art. 11. antiqua expositio missæ romanæ ante annos nongentos scripta pag. 447. Alia cf. apud Robertum Sala in adnott. ad lib. II. Card. Bona *Rerum liturg*. cap. 13. § 1. not. 9. et 10.

(4) Hic enim eruditissimus auctor in op. *Thesaurus novus anecdotorum*. Paris. 1717. tom. V. pag. 102. edidit *Antiquum ordinem romanum* ad usum monasteriorum ante an. circiter mille accommodatum. Porro in hoc ordine legitur : « Dicat (sacerdos) orationem, et *secrete nullo alio audiente*, nisi tantum ut venerit ad hoc verbum : *per omnia sæcula sæculorum*. » In admonitione quam in hunc ordinem præmisit Martenius hæc præclare adnotat : « qui locus sufficere debet ad refutandos nonnullos novitatum amatores, qui contra universalis Ecclesiæ Romanæ consuetudinem, propria auctoritate integram missam, secretas orationes canonemque ipsum eodem vocis sono, hoc est alto pronuntiant. Nam quid respondent variis antiquisque auctoribus secretas et canonem *sub silentio* recitari præscribentibus? Quod, inquam, aiunt, silentium apud illos cantui tantum, non altæ voci opponi, omnino falsi convincitur, ut nullus sit amplius effugiendi locus, cum *secrete nullo audiente* ante annos mille in Ecclesia Romana, aliisque ipsius ordinem sequentibus hæc dicerentur. »

PROPOSITIO III. — *Nihil est in missæ cæremoniis quibus utitur Ecclesia catholica quod non sit sanctum et pium.*

Est de fide, cum eam adversus novatores sanxerit conc. Tridentum sess. XXII. can. VII. *Si quis dixerit cæremonias, vestes, et externa signa, quibus in missarum celebratione ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis quam officia pietatis, anath. sit.*

Defervescente primo illo quo protestantes æstuabant furore adversus Ecclesiam catholicam a probris et contumeliosis conviciis quibus missæ cæremonias insectabantur recesserunt, imo interdum etiam eas commendarunt, et non paucas in usus proprios adsciverunt (1). Quare hæc controversia cum ipsis finem fere habuisse dicenda est. Verum in aciem prodierunt pistorienses, qui vestigiis jansenistarum insistentes plerosque ritus qui in usu sunt in Ecclesia catholica circa liturgiam carpere ac damnare veriti non sunt. Adversus has novitates Ecclesiæ vindicias suscipere cogimur.

Verum antequam id aggrediamur, præmittimus. 1. Nos hic non agere de cæremoniis singillatim sumptis, cum hoc non ferat scopus noster ; 2. sermonem nos instituere de cæremoniis quæ communi usu in universa Ecclesia romana receptæ sunt (2), adversus quam insurrexerunt tum novatores, tum pistorienses. Id autem præstabimus prius argumento generali adversus novatores, deinde peculiaribus rationibus adversus pistorienses.

Iis positis sic assertam propositionem ostendimus. Nihil est in missæ cæremoniis quibus utitur Ecclesia catholica, quod non sit sanctum et pium, si cæremoniæ istæ ex apostolica traditione et disciplina descendant; si præterea iis majestas tanti sacrificii commendetur, si denique per ipsas fidelium mentes ad rerum altissimarum quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitentur. Porro tria hæc reperiuntur in cæremoniis et ritibus quos Ecclesia catholica adhibet in celebratione sacrificii.

Ac primo quidem cæremonias quas adhibet Ecclesia catholica ex apostolica traditione et disciplina manare evincunt omnes antiquæ liturgiæ tum orientales, tum occidentales quæ adhuc supersunt. Præcipui enim ritus ac cæremoniæ in his descriptæ habentur, et quoad substantiam omnes apprime consentiunt, ut liturgiographi ostendunt (3). Jam vero has liturgias continere, quod viva voce ab apostolis in oblatione sacrificii institutum est post ea quæ suo loco adnotavimus nulla dubitatio superesse potest, ac fassi sunt præstantiores ipsi protestantes (4). Id ipsum constat ex antiquissimis patribus qui modo unum, modo alterum ex his ritibus memorant, ut Justinus, Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Cyrillus Hierosolym. Basilius, Hieronymus, Augustinus aliique passim (1).

Item commendari per ejusmodi cæremonias tanti sacrificii majestatem ex iis constat quæ Deus ipse in legalibus victimis offerendis præscripsit circa certum locum ejusque ornatum, altare et altaris formam, ministros ac peculiares eorumdem vestes, purificationes, consecrationes, speciales hostiarum immolandarum ritus, lumina eorumque numerum, thymiamata, aliaque id genus plurima, quorum omnium non alia erat præcipua ratio, quam Dei cultus et honor ad cujus reverentiam lex volebat homines inducere. Quanto igitur magis ad sacrificium nostrum legali quovis sacrificio sanctius et excellentius commendandum, ejusque augendam venerationem decuit certas aliquas cæremonias ab Ecclesia præscribi, ut majori qua posset exteriori solemnitate et religionis significatione perageretur?

Fidelium demum mentes per hæc visibilia religionis ac pietatis signa ad mysteriorum in hoc sacrificio latentium contemplationem attolli facile intelliget, qui secum reputet hominem ita a natura esse comparatum, ut exterioribus rebus sæpe indigeat, quibus ad rerum divinarum cognitionem et amorem erigatur.

Quare Deus ipse, qui in Veteri Testamento voluit novæ legis mysteria adumbrare, non solis locutionibus ea tradidit, sed quia sensibilia animum magis movent dum oculis subjiciuntur ; siquidem *segnius irritant animum demissa per aures, quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus*, cæremonias instituit, quæ haberent umbram futurorum, ut Hebræi Christum ejusque mysteria facilius intelligerent. Cum igitur quæcumque in hujus sacrifici celebratione fiunt, vel Christi passionem in mentem revocent, vel ejus corporis mystici dispositionem allegorice denotent, vel devotionem ac reverentiam, qua hoc sacramento utendum est tropologice significent, ut ait s. Thomas (*Cf.* 3. *P. q.* 83. *art.* 3 *et* 5), et liturgici scriptores claro in lumine collocarunt, quis non videat cæremonias, quibus ad invisibilia cognoscenda et amanda veluti manu ducimur, insectari idem esse ac velle omnem pietatem ac religionem e medio tollere? Sive igitur cæremoniarum quibus in sacrificio eucharistico offerendo Ecclesia catholica utitur, originem et antiquitatem spectemus, sive naturam et finem, constat nihil in iis esse quod pium sanctumque non sit.

Ex his porro sic generatim adversus novatores constitutis inferimus, jure ac merito in Constitutione *Auctorem fidei* tanquam *temerarias, perantiquo ac vigenti probatoque Ecclesiæ mori injuriosas* sequentes propositiones pseudosynodi pistoriensis fuisse damnandas : nempe XXI. *propositio synodi enuntians conveniens esse pro divinorum officiorum ordine, et antiqua consuetudine, ut in unoquoque templo unum tantum sit altare, sibique adeo placere morem illum re-*

(1) Cf. Le Brun. Diss. *Prem. Part.* art. 1.

(2) Ibid. *Trois. Part.* art. 1.

(3) Adversus Binghamum Cf. Murator Diss. cit. l. c.

(4) Sane imperator in cit. *Novella* ad cohonestandum edictum suum non affert exempla ex antiquitate, sed solum nititur interpretatione privata verborum Apostoli quæ etiam nunc a novatoribus objici solent, et rationibus congruentiæ. Ceterum etiam in ecclesiis græcis et orientalibus partem missæ submissa voce recitatam esse patet ex vocibus μυστικῶς et ἐκφώνησις, quæ constanter occurrunt in ipsarum euchologiis, ut videre est apud Renaudotium *Liturg. Orient.* tom. II. pag. 21. 63.

(1) Jam alias scripsimus regem Borussiæ non ita pridem novam liturgiam seu *Agendam* suis servandam proposuisse, in hac vero nova liturgia plures ritus Ecclesiæ catholicæ adscivit *novus hic Pontifex*, ut ex admixtione rituum catholicorum et protestantium incautis illuderet, at eum spes fefellit sua. Wegscher §. 176. scribit: « Ritus autem illos, qui usui sacræ cœnæ sensim adjecti erant, sacrorum emendatores partim abrogarunt, partim *servarunt* vel immutarunt ». De his ritibus ex protestantibus rationalistis scripserunt Plack V. II. VI. pag. 416. et seqq. et. Henke III. p. 326. et seqq. et 341. et seqq.

(2) De hac rituum diversitate quæ olim viguit in particularibus ecclesiis aut religiosorum cœtibus, et adhuc viget, aliqua saltem ex parte cf. Card. Bona *Rerum liturgic.* lib. I. cap. 6. et 7.

(3) Cf. Auctores sæpe laudatos Renaudotium, Martenium, Assemanum, Le Brunium etc.

(4) Cf. Apud Rob. Sala in not. ad lib. I. Card. Bona cap. 6 § 1. qui plures protestantes adducit.

(1) Cf. Quæ scripsimus in Tract. *De sacram. in genere* col. 51. et seqq.

stituere, et XXXII. *Item præscriptio vetans ne super altaria sacrarum reliquiarum thecæ, floresve apponantur.*

Quamvis enim prout diversa temporum adjuncta postulabant primis Ecclesiæ sæculis in singulis templis, nonnisi unum passim erigeretur altare, non desunt tamen antiqua monumenta, quæ non eamdem ubique disciplinam viguisse ostendant. Imo vel a priscis Ecclesiæ temporibus plura in uno eodemque templo erecta fuisse altaria Arringhius (*Roma subterranea lib.* I, *c.* 31) et Boldettus (1) ex eo certissime colligunt quod plura in una eademque Ecclesia humata fuerint sanctorum martyrum corpora, quoties vero martyris alicujus corpus humabatur, toties super illud erigeretur altare (2). Constat præterea in basilica vaticana olim plura jam altaria collocata fuisse (3), uti et in basilica s. Pauli via Ostiensi (4). In celebri ac vetustissimo templo s. Sepulcri Hierosolymis a Constantino extructo tria excitata sunt altaria (5); plurium altarium meminit s. Ambrosius dum refert *Milites irruisse in altaria* (*Epist.* 20, *n.* 26, *ed. Maur.*); item s. Paulinus Nolanus (6); s. Petrus Chrysologus obtulit diadema aureum Ecclesiæ s. Cassiani Forocorneliensis et collocavit super *altare majus* (7); s. Gregorius M. scribens ad Palladium Sanctoniensem episcopum: *Veniens*, inquit, *lator præsentium insinuavit nobis fraternitatem vestram Ecclesiam... construxisse, atque illic tredecim altaria collocasse* (8). Et hæc quoad latinos, quoad græcos vero tametsi ut plurimum nonnisi unicum altare in Ecclesia habeant, plura tamen, inquit, Card. Bona, ipsi Ecclesiæ proxima muroque disjuncta construunt sacella, sive oratoria, quæ *parecclesiæ* ab aliis vocantur, quasi ecclesiarum appendices in quibus, refert Goarius, profestis diebus liturgias privatim agunt (9).

Sic etiam inter altarium ornamenta olim pariter recensebantur capsæ et reliquiæ sanctorum super ipsum altare expositæ, uti et nunc fit, in loco paululum a mensa submoto. Id enim aperte colligitur ex Gregorio Turonensi qui refert se respondisse: *Requiescant beatæ reliquiæ super altarium, donec mane procedamus ad occursum earum* (*Hist. Franc.*, *lib.* IX, *cap.* 6). Leo IV, qui obiit an. 847, decrevit: *Super altare nihil ponatur, nisi capsæ et reliquiæ, aut forte quatuor evangelia et buxida cum corpore Domini* (1). Eadem verba habet Ratherius veronensis (2).

Flores naturales a vetustioribus sæculis super altare posuerunt christiani, qui ad altaris ornatum corollas e floribus affabre innectebant, uti testantur s. Augustinus (3), et Venantius Fortunatus (4), aliique non pauci (5). Hinc forte cum defervescente antiqua fidelium pietate, aut etiam quod semper præsto non essent flores naturales, altaria sæpe floribus carerent, illorum loco flores fabrefacti substituti sunt. Consuetudinem porro flores collocandi super altaria induxerunt fideles eo quod florum plura symbola biblica habeantur, tum Christo ac Beatæ Virgini, tum christianorum bonis operibus significandis idonea.

Ex his satis constat pseudosynodum non antiquitatis amore, sed novitatis potius libidine eo fuisse adductam ut usus longissimo sæculorum cursu in universa Ecclesia probatos carperet. Jansenistarum enim placitis obsequi maluit, quam Christi Ecclesiæ obtemperare, in cujus est potestate quæ ad divinum cultum spectant pro loco ac temporum adjunctis decernere.

DIFFICULTATES. *Obj.* I. Christus in eucharistiæ institutione nullis usus est cæremoniis, 2. sed neque apostoli iis usi sunt, ut ex I Cor., XI, satis patefit, ubi nullæ ejusmodi cæremoniæ recensentur; 3. frustra propterea catholici in ipsis missæ *nervos* collocant, ipsamque sacrificii substantiam. Ergo.

Resp. ad 1. *Dist.* Ita tamen ut facultatem dederit Ecclesiæ eas instituendi, *C.* secus, *N.* Nam ut alias ostendimus, eo ipso quod apostolos eorumque successores constituerit pastores Ecclesiæ suæ, facultatem eis tribuit ut quæ ad Ecclesiæ utilitatem conducibilia essent, possent instituere, ut patet ex Apostolo, I Cor., XI, 34 (6).

Ad 2. *Neg.* Ut constat ex dictis de liturgiarum origine. Neque officit quod Apostolus eas cæremonias minime recensuerit: ejus enim scopus non fuit ritus describere celebrationis eucharisticæ, sed solum ea tradere quæ a Christo acceperat, ut ibidem ipse profitetur.

(1) *Observat. ad cœmeteria Urbis* lib. I. cap. 9. et seqq.
(2) Cf. Baronium ad an. 57. n. 105.
(3) Cf. Ciampinum *De sacris ædific.* cap. 4. sect. 4. p. 51.
(4) Mabillonium *Comment.* in *Ordinem Rom.* n. 4. p. 46.
(5) Cf. eumdem A. in *Actis ss. Benedictin.* sec. 3. P. 1. pag. 504. Anastasius Bibliothecarius in vita s. Silvestri inter cetera dona quæ basilicæ Constantinianæ obtulit imperat. Constantinus, recenset «Altaria *septem* ex argento batutili pensantia singula libras ducentas.» Cf. in edit. Franc. Blanchinii Romæ 1718. tom. I. p. 38. Verum nescio an ex hoc possit aliquid erui pro altarium multitudine in eadem ecclesia, siquidem ut observat Bencini apud eumdem Blanchinium tom. II. p. 310. altaria olim dicebantur mensæ ministeriales deputatæ ad sacra vasa et ad ministrorum officia, quæ episcopo celebranti ad altare usui erant. Hinc mensarum frequens mentio in ordine et diurno romano, quo denotabantur loca ad recipienda vasa sacra quorum erat varius et multiplex usus.
(6) In Natal. II. s. Felicis v. 598. edit. Murator. Veronæ 1736. in quem locum cf. editor. adnotationem.
(7) Ut in ejusdem lectionibus sec. noctur. legitur.
(8) Lib. VI. indict. 14. Ep. 49. ed. Maur. Plura alia documenta Cf. apud Rob. Sala in adnot. ad lib. III. *Rer. liturg.* Card. Bona, cap. 14. § 3. et 4. Cf. præterea Paulowich in op. *Sacrorum altarium multiplicitas et cultus a novatorum technis et impetu vindicatus.* Anconæ 1791.
(9) *Rer. liturg.* l. I. cap. 14. § 3. cf. etiam Goar. in notis ad Euchol. p. 16.

(1) Apud Mabillon. l. c. Si tamen Leonis est homilia quæ ipsi tribuitur.
(2) In *Synodica* n. 6. cf. ejus opp. editionem Ballerinorum vol. unico in fol. Veronæ 1765. pag. 414. ubi cf. edit. adnott. Floruit porro Ratherius sec. Ecclesiæ 10.
(3) Lib. XXII. *De Civ. Dei*, cap. 8. n. 13.
(4) Lib. VIII. Carm. 9. ad Radegundem, quod carmen *De floribus super altare* inscribitur.
(5) Uti s. Hieron. in epitaphio Nepotiani, s. Paulinus Nolan. Natali III. s. Felicis, Gregorius Turonens. *De gloria confessorum*, cap. 50. Quorum testimonia affert Card. Bona *Rer. liturg.* lib. I. cap. 25. § 13. ubi etiam cf. annotatt. Rob. Sala Cf. etiam Pellicia op. cit. lib. II. cap. 6.
(6) Cf. De *sacram. in genere* l. c.

Ad 3. *Neg.* Hæ siquidem totidem calumniæ sunt. Nullus unquam catholicus censuit aut docuit sacrificii essentiam in cæremoniarum apparatu positam esse, aut missæ vim in cæremoniis consistere (1).

II. *Obj.* Saltem plura altaria in uno eodemque templo dedecent, 1. cum altare sit Christi symbolum, qui profecto unus est. 2. Hinc s. Ignatius M., s. Cyprianus, s. Optatus aliique passim unum altare memorant in locis sacris erectum. 3. Sub hoc altari, uti insinuatur in Apocalypsi, sanctorum corpora requiescere debent, non super altare, prout reipsa veneranda antiquitas sanctorum reliquias recondere consuevit; 4. ab eoque præter crucifixi imaginem et candelabra cetera ornamenta exulare debent, ac flores in primis quorum usus a paganorum superstitione repetendus est, nec pariter officit simplicitati quæ in christianorum sacris elucere debet. Ergo.

Resp. Neg. Ant. Ad. prob. Dist. Ita tamen ut hoc symbolum non destruatur per multiplicationem altarium in eodem templo, quemadmodum non tollitur hoc symbolum per erectionem plurium templorum in eadem urbe, *C.* ita ut amplius consistere non possit, *N.* Ejusmodi enim analogiæ nimis urgeri non debent, nisi velimus in absurda incidere. Nam etiam templum est Christi symbolum, nemo tamen contendit non posse in una eademque urbe plura templa exædificari eo scilicet prætextu, ut talis analogia conservetur. Itaque symbolum Christi permanet in unoquoque altari seorsim sumpto (2).

Ad 2. *Dist.* Constat ex his patribus alicubi et ad tempus unicum tantum altare erigi consuevisse, *Tr.* ubique et semper, *N.* Varia enim etiam in hac parte olim viguit disciplina, in nonnullis provinciis unum in singulis ecclesiis altare collocabatur, in aliis plura erigebantur. Crescente fidelium multitudine, ut omnibus satisfieret, plura ubique locorum in eodem templo altaria posita sunt (3).

Ad 3. Esto quod olim passim sanctorum reliquiæ conderentur sub altari, non tamen desunt, uti ostendimus, documenta ex quibus constat etiam interdum repositas fuisse sanctorum reliquias super altare. Ea certe res disciplinaris est, ut sive subter, sive super altare sanctorum reliquiæ collocentur; omnes propterea acquiescere debent disciplinæ, quæ jam a tot seculis in Ecclesia obtinet et ab Ecclesia probatur. Ceterum Christum velle ut sanctorum reliquiæ olim immortalitate donandæ, peculiari honore fruantur, constat ex ipso Apocalypseos libro ab adversariis objecto, ubi legitur *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus* (*Cap.* III. 21.). Quid magis consonum, quam ut juxta effigiem Christi Domini e cruce pendentis membra dilaniata eorum resideant qui e cruce virtutem patiendi traxerunt?

Ad 4. *Neg.* Quid enim magis minusve conferat ad cultus divini simplicitatem aut decorem, penes Ecclesiam judicium est, non autem apud privatos homines, eosque factiosos. Porro in *Cæremoniali episcoporum* legitur cap. XII. *De ornam.*: *Sed ipsum ciborium floribus frontibusque ornari poterit.* Hunc autem usum consentaneum esse antiquitati ostendimus (*Ibid.* § 2. *p.* 237).

Quoniam homines quos impugnamus se totos s. Augustino addictos profitentur, coronidis gratia, unum aut alterum ex s. doctore testimonium subjicimus ut innotescat quam ipsi suis novitatibus abscedant a sensibus s. præsulis Hipponensis. Distinguens igitur ipse in epist. ad Januarium ea, *quæ toto terrarum orbe servantur* ab iis, *quæ per loca terrarum regionesque variantur*, de prioribus ita pronuntiat: *Si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia... quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est.* De posterioribus vero, adducto s. Ambrosii effato: *Cum Romam venio, jejuno sabbato: cum hic sum, non jejuno*, ita prosequitur: *Ego vero de hac sententia atque etiam cogitans, ita semper habui, tanquam eam cœlesti oraculo acceperim. Sensi enim sæpe dolens et gemens multas infirmorum perturbationes fieri, per quorumdam fratrum contentiosam obstinationem... qui tam litigiosas excitant quæstiones, ut nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum existiment.* Demum concludit: *Nec disciplina ulla est in his melior gravi, prudentique christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit ecclesiam, ad quam forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum, et propter eorum, inter quos vivitur, societatem servandum est... Ipsa quippe mutatio consuetudinis etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quæ utilis non est, perturbatione infructuosa consequenter noxia est* (1).

(1) Reliquas antiquiorum protestantium difficultates cf. apud Bellarm. *De Euchar.* lib. VI. cap. 13. et seqq.
(2) Cf. Gerdilium *Esame de motivi dell' opposizione fatta da Mons. Vescovo di Noli alla publicazione della Bolla Auctorem fidei.* Art. 17. § 1. Op. edit. Rom. tom. XIV. p. 213, et seqq.
(3) Ibid. 234. Ubi inter cetera observat cum Thomasinio in op. *Vetus et nova Eccles. disciplina* P. I. l. II. c. 21. n. 2. «Non fuisse (primis Ecclesiæ temporibus) ullas puri Ecclesias, ac ne in urbibus quidem præter cathedralem» quod ostendit ex ss. Ignatio, Justino, etc.

(1) Ep. 54. Quoniam doctrina synodi pistoriensis placuit conventui *Ems* vulgo nuncupato, adversus novitates quas hucusque impugnavimus, subnectimus verba gravissima Card. Gerdilii, qui loc. cit. scribit: «Nulla per certo vi ha *neque contra fidem, neque contra mores* nella moltiplicità degli altari in una stessa Chiesa; ma è gran male il tentare di mettere in discredito, e voler far apprendere, come men conformi alla santità della disciplina usi ed istituti da tanti secoli sussistenti nella Chiesa sotto l'ispezione di più e più generali e particolari concilii, sotto gli occhi di tanti e tanti venerandi vescovi in ogni parte della christianità nè solo senza reclamazione, ma anzi con positivo assenso, e cooperazione de' più distinti per dottrina, zelo, e pietà. Gran male l' insinuare in tal guisa nell' animo de' fedeli una scandalosa diffidenza, e disprezzo delle religiose instituzioni de' Maggiori; suscitare fazioni, ove prima regnava pace e concordia.